



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XV. Vtrùm vnio humanitatis facta sit in natura Dei? S. Thom. q.
2. a. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

quæ præmia singulis actibus respondeant: item inuestigare, utrum originale & omnia actualia

sint delata etiam per hos, aut illos. quia hæc maxime pendent ex libera voluntate Dei. S. Thom. q. 2. art. 1.

DISPUTATIO XV.

Utrum unio humanitatis facta sit in natura Dei?

S. Thom. q. 2. a. 1.

SECTIO I. Error Eutychetis.
SECTIO II. Impugnatur hic error.
SECTIO III. Impugnatur alia unioes ad naturam.

SECTIO IV. Examinatur unio physica ad naturam.
SECTIO V. De hac propositione, Natura diuina est incarnata.

§. 1. **D**ifficultates quas S. Thomas explanat qu. 2. sunt maxime vicinae his, quæ explicantur qu. 3. ob quod ipsdem licij erant texendæ: eas tamen diuidam morem gerens lecturis, qui difficultates certis in locis inquirunt.

§. 2. Animaduerte unionem fieri in natura Dei, & fieri unam naturam ex duabus vnitis, idem esse realiter, ut S. Anselmus obseruat lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. Quia si unione destruantur illæ naturæ, resultat tertia, quæ est formaliter vna: ut lapis & quoduis mixtum resultat ex elementis. Si verò vtraque natura vnione perseuerat, manet quidem vna natura composita ex duabus: composita quidem, quia est per unionem realem duarum; vna verò, quia per unionem est indiuisa. quæ est ratio formalis vnus. Quapropter qui assereret unionem in natura factam, assereret consequenter ex duabus naturis fieri vnã: ut sit humanitas ex corpore & anima; nisi quòd corpus & animus sunt naturæ incompletæ.

SECTIO I.

Error Eutychetis.

§. 3. **E**utyches errauit variè more hæreticorum fluctuantium absque rudentibus & anchoris. Primum, censuit Christum non fuisse verum hominem cõsubstantialialem Mariæ; sed assumptum à Deo corpus cæleste, quod ex Maria non fuit natum, sed traiecit per eius alueum more aquæ defluentis per canales. Quem errorem illi adscribit Beda in cap. 11. Lucae lib. 4. cap. 49. secutus veteres ferè omnes: quos imitatus est Baronius tom. 6. anno 448. n. 23. id probans ex Liberato & alijs. Eundem secutus errorem Valentinus apud P. Valentiam disp. 1. q. 2. puncto 1. vers. *Secundus error.*

§. 4. P. Vasquez disp. 14. nu. 4. secutus Alfonso Castrium de Hæresibus, verbo *Christus*, hæresi 4. existimat sensisse Eutychetem, in Christo esse quidem duas naturas realiter & formaliter per unionem seu compositionem, quam ille mixtionem appellabat; illas autem non esse dicendas duas naturas, sed vnã, eamque diuinam: cui comparata humana non mimeretur nomen naturæ.

§. 5. Existimo alium fuisse Eutychetis errorem: nempe post mixtionem naturam diuinam priorem & humanam ita fuisse confusas, ut ex illis euanescentibus constaretur tertia quedam natura diuina, quæ operabatur & patiebatur in Christo. Existimauit hæreticus hanc mixtionem similem his quæ eueniunt corporibus mistis: in quibus mixtilia manent confusa absque proprietatibus & operationibus proprijs, ignis enim & alia elementa non manent in lapide actu atque distincta, sed ex quatuor elementis alteratis & transmutatis fit lapis.

§. 6. Hunc fuisse Eutychetis errorem, censuere Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 3. de Christo *Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.*

c. 2. P. Valent. disp. 1. q. 2. puncto 1. vers. *Tertius error.* P. Suarez disp. 7. lect. 2. in initio huic ad stipulatur, quamuis vers. *Secundo modo*, inclinetur ad asserendum, censuisse Eutychetem vnitatem naturæ resultasse ex conuersione humanitatis in diuinitatem, manente diuinitate priori, & humanitate consumptâ. at certè sensit Eutychetem nõ reliquisse in Christo duas naturas, sed vnã. Item vers. *Quarto modo*, eam Castrij sententiam impugnat. lege auctores quos hi tres PP. adducunt.

§. 7. Colligitur clarè ex Liberato Diacono c. 11. (est in 1. tom. Conciliorum) his verbis: *Prædicabat Dominum nostrum Iesum Christum cõsubstantialialem nobis non esse secundum carnem; sed de celo corpus habuisse. Rursum varians dicebat, ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem vnã factam esse.* Theodoretus lib. 4. Hæreticarum fabularum fine, ait: *Dicebat enim Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse, sed ipsum immutabiliter conuersum & carnem factum (ut ridiculis eius vtriusque verbis) solùm per Virginem traiecisse.* Et quidem S. Leo in epistolis ea de re tum ad Episcopos, tum ad Conciliũ Chalcedonense; id testatur apertè: quas hi adducunt auctores: adde sermonem 7. de Natiuit. Domini: *In vtraque ergo natura idem est Dei filius, nostra suscipiens, & propria non amittens; in homine hominem renouans, in se incommutabilis perseuerans: deitas enim, quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentia subijt, nec Dei formam serui forma violauit: quia summa & sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinauit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat, esse non deslitit.* Quibus rugit Leo in duos lupos; alterum Nestorium negantem esse eundem filium Dei, & filium hominis; in quem sunt prima verba adducti testimonij; alterum Eutychetem, negantem duas naturas in Christo. Asserit autè Leo esse in Christo & diuina & nostra, nec diuinitatem commutatam in aliud, sed in suis perseuerare. Baronius tom. 6. anno 448.

S. Thom.
2. 2. art. 1.

à n. 19. hanc hæresim ei adscribit: num. autem 21. refert Ioannem Diaconum in Concilio Constantinopolitano ea referentem ex ore Eutychetis, ad quem vocandum missus fuerat à conciliaribus. sunt autem hæc Diaconi verba: *Post Incarnationem verò (aiebat ille) Dei Verbi, hoc est naturam Domini nostri Iesu Christi, vniam naturam adorare, & hanc Dei incarnati hominis facti.* & infra ait Diaconus: *Et hoc dicens, confitebatur perfectum Deum esse, & perfectum hominem, qui natus est de Maria Virgine, non habentem consubstantialem nobis carnem: hæc autem mecum colloquens dixit.* num. autem 41. referuntur à Diacono hæc verba Eutychetis: *In qua Scriptura iacent due naturæ quæ sanctorum Patrum exposuit Deum Verbum duas habere naturas?* Quibus verbis hæreticus realitatem naturarum negauit: in quo sensu acceptus fuit à Mamante missio ad eum à Concilio. num. autem 48. interrogatur Eutyches ab Eusebio Episcopo Dollilæ; ipse autem n. 49. respondit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem: post verò adunationem vniam naturam confiteor.* ob quod damnatus est. num. autem 51. & 52. continetur epistola Flauiani Archiepiscopi Constantinopolitani ad Leonem Papam de eo errore.

§. 8. Rationes autem sunt apertæ. Prima, quia Eutyches censuit esse Nestorianos eos qui duas in Christo naturas admittebant, vt constat ex ipsius epistola ad Leonem Magnum: cui respondit Leo apud Baronium eo anno 448. num. 20. Volebat igitur Eutyches in Christo esse vniam naturam, sicut vniam personam; neque enim ratione censuit posse defendi vnitatem personæ: cuius in eius errore officit dualitas naturarum sicut dualitas personarum. sed Nestorius admittebat duas realiter personas, non verò vniam: ergo Eutyches è contra vniam realiter admisit naturam, non verò duas. quòd si re ipsa essent duæ naturæ in sententia Eutychetis, vt in sententia Nestorij sunt duæ personæ; essent etiam in sententia Eutychetis duæ realiter personæ: quia ille vnitatem personæ nesciuit componere cum pluralitate naturarum. ob quod scripsit ad Leonem repullulare hæresim Nestorianam. quod ideo dixit, quia Catholici Episcopi post damnatum Nestorium fatebantur duas in Christo naturas.

§. 9. Secundò, constat ex ipsius Eutychetis argumento: Verbum caro factum est: ergo diuinitas est in carnem conuersa. Probat consequentiam, quia quod fit aliquid de nouo, desinit esse quod erat antea, & incipit esse id quod factum est de nouo: sicut aqua facta vinum, desinit esse aqua, & incipit esse vinum. Ergo censuit nec mansisse priorem diuinitatem, neque duas naturas, sed vniam, in quam conuersa erat diuinitas: at non censuit manere nostram humanitatem, quam negauit: censuit ergo manere tertiam quamdam naturam constflatam ex duabus.

§. 10. Tertio, theopaschismus hinc traxit originem; & quidem consequenter: censuerunt enim diuinitatem passam & crucifixam: ortumque est Trifagion, *Qui passus es pro nobis, miserere nobis:* quod ter, recitabant. at si faterentur humanitatem perseuerare cum vnione, & diuinitatem dici passam, non ratione sui, sed ratione humanitatis propter idiomatum communicationem; non ita desperarent, neque bene impugnarentur à Patribus. Deus enim catholicè dicitur crucifixus & mortuus per

idiomatum communicationem: quamuis ratione sui neque crucifigi potest, nec mori. Patres verò impugnaverunt Eutychetem, quia diuinitas nec pati potest, neque mori: egerunt igitur de diuinitate ratione sui, non verò ratione vnionis ad humanitatem. si enim agerent de idiomatum communicatione, non esset bonum argumentum ab immortalitate diuinitatis: sicut nunc non est ab immortalitate Dei. qui enim in se immortalis est, potest denominari mortuus ab humanitate vnita.

Obiicit Primùm P. Vasquez testimonium Gelasij lib. de Duabus in Christo naturis circa medium his verbis: *Adhuc autem etiam illud adijciunt, vt, sicut ex duabus rebus constat homo, id est ex anima & corpore, quamuis vtriusque rei sit diuersa natura, sicut dubium non habetur; plerumque tamen vsus loquendi singulariter pronuntiet simul vtrumque complectens, vt humanam dicat naturam, non humanas naturas: sic potentiam in Christi mysterio & vnione diuinitatis atque humanitatis vniam dici vel debere vel posse naturam.*

§. 12. Respondeo, Eutychetem falsum Christum ex duabus esse naturis, non tamen in duabus. Ex duabus quidem tamquam termino à quo; sicut mixtum fit ex elementis (quæ erat hæreticorum comparatio) at non in duabus, quia non permanfit vtraque, sed ex vtraque vna alia. Exemplum autem corporis & animi non affertur ad omnia, sed ad probandam phrasim, qua vniam naturam dicimus, quamuis factam ex duabus: at non adducitur ad perseuerantiam realem duarum naturarum, quam Eutyches perspicuè negauit.

§. 13. Obiicit Secundò, Vigiliam Papam l. 3. contra Eutychetem in principio (vterque Pontifex est tomo 5. Biblioth. sacræ) *Quoniam Eutychiiana hæresis (inquit) in id impietatis prolapsa est errore, vt non solum Verbi & carnis vniam credat esse naturam; verum etiam hanc eandem carnem non de sacro Maria virginis corpore assumptam, sed de calo dicat, iuxta infandum Valentinij & Marcionis errorem, fuisse deductam.* Vbi aperte concedit in Christo carnem, quamuis alterius rationis à nostra.

§. 14. Respondeo ab Eutychete non esse negatam carnem & diuinitatem in Christo, sed admissam, vt constat ex eius responso ad Theophilum & Mamantem missos à Concilio ad Eutychetem apud Baronium tom. 6. anno 448. n. 51. vbi falsus est Christum esse perfectum Deum & hominem: pressus autem argumento Theophili retractauit disputationem. ea enim prædicata admittebat non per duas naturas formaliter relictas; sed per vniam resultantem de nouo ex vtraque in quam illa fuerant conuersæ: quæ natura erat apud Eutychetem humanitas & diuinitas: sicut mixtum est elementa ex quibus fit.

§. 15. Arguit Tertio, Hæreticus fatens Christum verum Deum & hominem verum, tenebatur admittere veram humanitatem & diuinitatem. Respondeo, id esse verum, si hæretici tenerent quod tenebantur: non enim ita delirarent: nullus doctor Catholicus hæreticos est suo pede mensurus: illi enim raro tenent consequentias. Iam retuli in §. 7. Theodoro eum hæreticum fuisse ridiculum alij eum vocant inconstantem. Et quidem hoc argumentum & consequentia illi fuerunt obiecta à Theophilo atque Mamante. quibus ille respondit se nolle disputare, vt constat ex Baronio tomo 6. anno 448. n. 51. hæretici tamen suo errori. Fatebatur præ-

præterea Deum & hominem verum atque perfectum, sed per deitatem & humanitatem distinctæ speciei à prioribus: quæ humanitas & diuinitas erat tertia natura, in quam conuersæ fuerant diuinitas & humanitas priores. hoc delirium consequitur eam stultissimam hæresim. Neque efficaciora sunt alia.

§.16. Igitur Eutyches non admisit naturas inconfusas & distinctas; sed mixtas & confusas: quia duæ transferantur in tertiam quamdam, ut elementa dicuntur transire in mixta. hæc mixtio admissa est ab hæretico, non verò realis vnio Error quidem antiquior Eutychete, sed ab ipso propagatus. Polemius enim fuit eius auctor: Athanasius & alij Patres, Eutychete antiquiores, in eum scripsere. in parte recidit in errorem Valentini, Apollinaris, atque Marcionis, dum vera humanitas Christo negatur.

S E C T I O II.

Impugnatur hic error.

§.17. **T**Am stolidus est hic error, ut eius pudeat homines. Mito Scripturæ testimonia, quibus asseruntur duarum naturarum prædicata: item Conciliorum, & totius Ecclesiæ consensus. vtar argumento Theophili atque Mamantis mislorum à Concilio V. Constantinopolitano ad Eutychetem, apud Baronium tomo 6. anno 448. n. 51. Christus est Deus verus & homo verus: quod Eutyches fateatur: (alioquin iam non est cum illo disputatio, sed cum alijs, alterū eorum, vel vtrumque negantibus) ergo in Christo est vera deitas, & humanitas vera. Patet consequentia, quia illa prædicata non possunt esse nisi à vera deitate & humanitate vera: quia concreta sunt formaliter ab abstractis, ut album ab albedine, à dulcore dulce: quis enim vnquam somnauit posse esse verum dulce sine vero dulcore? sed vera deitas non est nisi illa quæ erat ante vnionem hypostaticam, neque vera humanitas nisi nostræ sit consubstantialis: ergo in Christo sunt deitas antiqua (ut ita loquar) & humanitas nostræ consubstantialis. Minor, quod attinet ad deitatem, est per se nota: quia si esset distincta deitas à priori, ergo esset noua deitas: at veræ deitati repugnat nouitas: ergo. Eadem Minor probatur, quod attinet ad humanitatem: quia verus homo componitur ex hoc corpore, & ex hoc animo rationali in specie. neque enim homo ut sic est genus, sed species infima. Cui argumento nihil respondit hæreticus, neque potuit.

§.18. Probo Secundo, diuinitatē non esse conuersam in aliam naturam: quia diuinitas aut mansit realiter in Christo, vel non mansit realiter: si mansit, ergo non est conuersa in aliam naturam, sicut aqua in vinum, & panis in Christi corpus: & haberemus iam aliquid contra sententiam Eutychetis, nempe mansisse diuinitatem priorem in Christo. si verò non mansit, ergo perijt: at diuinitas perire non potest, quia ens est à se, neque in vlla potentia continetur: ergo non potuit non manere. quæ sunt prima principia Metaphysicæ. Quæ item potentia diuinitatem destruxit: non alia diuinitas: quia duæ nec sunt, nec possunt esse: non ipsa, quia ut se ipsam non producit, ita non ha-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

bet potentiam cessandi à productione & conseruatione sui. quod si ipsa mixtione perijt, quis tunc permanit in facienda mixtione? non aliqua creatura, cui non est subiecta diuinitas: non Deus, quia tunc perijt deitas, sine qua non est Deus. quis ergo pharmacopola miscuit eas naturas?

§.19. Confirmatur. Diuinitas est immortalis: moriuntur enim ea solum quæ non possunt resistere agenti superiori, ut contingit inter habentia contrarium: vel quæ pendent ab agente superiori ea producenti, ut angeli possunt diuinitus perire. sed diuinitas neque habet contrarium, neque pendet à superiori agente, ut est per se notum: ergo diuinitas nec potuit mori, nec pati: ergo per mixtionem non potuit diuinitas in aliam naturam conuerteri, neque potuit Christus pati per diuinitatem.

§.20. Obijciebat Eutyches: Verbum caro factum est: ergo Verbum desijt esse quod erat: sicut aqua in nuptijs desijt esse aqua, quia facta est vinum: & panis Eucharisticus per consecrationem desijt esse panis, quia fit Christi corpus. O stultus homo factus est sapiens, & albus: ergo conuersus in sapientiam & albedinem? ergo desijt esse homo. Respondeo, rem aliquid fieri dupliciter: Primum per conuersionem, ut homo fit cadauer, & panis corpus Christi, & aqua vinum. hæc conuersio est substantialis: quia est transitus de substantia in substantiam: quem transitum diuinitati repugnare ostendi §.18. & 19. Secundò, res fit aliquid accidentaliter intrinsecè aut extrinsecè: ut homo ex non albo fit albus. quæ ratio in accidente extrinsecò non repugnat Deo qui ex non creante factus est creans. homo item ex non albo factus est albus intrinsecè. quæ ratio non destruit rem quæ facta est aliquid, sed potius cum illa componitur necessariò: quia est talis res subiectum eius denominationis: vel est principium actuum, à quo oritur denominatio: ut creatio non potest esse nisi cum Deo creante, neque albedo ex natura rei nisi cum subiecto albo. Tertiò, potest res fieri aliquid substantialiter physice: ut corpus animatur, & anima vnitur corpori. quæ ratio non destruit rem quæ fit aliquid, sed potius cum illa componitur: quia vnio pendet ab vtroque extremo ut existente. hac ratione Verbum caro factum est per vnionem substantialem Verbi ad carnem. quæ vnio dependet essentialiter ab vtroque extremo: & quamuis est physice substantialis, logicè tamen est accidens. Nec sunt alia acutiora pro hoc hæretico.

§.21. Creaturæ possunt aut ex natura rei, aut de potentia absoluta reciprocè conuerteri: ut aqua in aërem, & hic in illam: item panis in Christi corpus, hoc item in illum. vtrum autem creatura possit conuerteri in Deum, & esse tertium circa quod repugnet, est quæstio de Eucharistia: quæ neque per somnium incidit in mentem huic hæretico. Contra quem sic argumentor: Christus verè est passus secundum aliquam naturam: quod ipsi fatebantur addentes Trifagio, *Qui passus es pro nobis, miserere nobis*: sed non potuit pati secundum naturam diuinam, ut constat ex §.19. neque secundum naturam angelicam, quia eam non assumpsit: item iam essent in Christo duæ naturæ, contra mentem huius hæretici: neque item Christus passus est secundum naturam irrationalem, quæ est incapax meriti: item in Christo non est vna natura dumtaxat: ergo Christus passus est secundum naturam humanam:

Q 3

ergo

S. Thom.
q. 2. art. 1.

ergo in Christo sunt duæ naturæ, altera impassibilis, altera ex natura sua passibilis: quod nunc contendo contra Eutychem. Non esse humanitatem alius speciei à nostra, ostendi §. 17. & ostendam contra Marcionem.

§. 22. Obijcit Primò Eutyches: Christus est vna persona, vt constat ex fide: ergo non habet nisi vnã naturam. Probat consequentiam, quia duæ naturæ constituunt duas personas, non minùs quàm in duæ personalitates. Hoc argumentum præcipitem egit Eutychem: qui in Concilio Chalcedonensi triumphauerat de Nestorio admittente in Christo duas personas: censuit autem non posse vnitatem personæ componi cum dualitate naturarum: & quia post damnatum Nestorium Episcopi Catholici fatebantur duas in Christo naturas, censuit Eutyches repullulascere errorem Nestorij: quod re certior fecit Leonem Pontificem Romanum. Ad argumentum, nego consequentiam. ad probationem respondeo, nomina concreta multiplicari pro multiplicatione rerum significatarum in recto, licet non multiplicentur significatæ in obliquo: vt duo parietes essent duo alba, licet non haberent nisi albedinem vnã: & duo extrema sunt duo vnita, licet non habeant nisi vnã vnionem. vt patet in Incarnatione. Ea ratione in diuinis sunt tres personæ: quia in diuinis dicit in recto personalitatem, & in obliquo naturam: ob quod sunt tres personæ. item quando rectum est vnum, non multiplicantur concreta, licet multiplicentur obliqua: vt pomum affectum albore & dulcore, est vnum quale, & non multa. & quia Deus dicit in recto naturam, & in obliquo personalitatem, ideo est vnus Deus, & non tres: licet sint tres personalitates. Hinc patet ad probationem consequentiæ, in Christo non sunt duæ personæ, sed vna propter vnã personalitatem in recto significatam, licet naturæ sint duæ: quia hæ non ponuntur in recto in Christo nomine personæ, quando significantur in Christo, vt ponuntur personalitates diuinæ quando nomine persona significantur.

§. 23. Obijcit Secundo, nullibi in Scripturis reperiri duas in Christo naturas, neque in Patribus: quod argumentum proposuit Mamanti & Theophilo. Cui responderunt hi, neq; in Scripturis reperiri homouision significatum hac voce: & tamen definitum est à Patribus, quos sequebatur Eutyches: quia licet non reperiebatur ea voce, reperiebatur tamen res per illam significata. ita hæ voces, in Christo sunt duæ naturæ, non reperiuntur in Scripturis, reperiuntur autem res per illas significatæ: quia dicitur, *Deus erat Verbum*: vbi ponitur natura diuina in Christo quod est Verbum. item reperitur, *Et Verbum caro factum est*: vbi ponitur natura humana significata per carnem. item ponitur æternitas illius diuinitatis, *Antequam Abraham fieret ego sum*: item, *Claritate quam habui priusquam mundus fieret*. Quod non esset verum, nisi post vnionem retineret diuinitatem eandem. quia quando aliquid vertitur in aliud, non perseverat post conuersionem: vt panis Eucharisticus non manet post consecrationem: cum ergo Verbum sit Deus, item & sit caro: idemque Verbum quod factum est caro, fuerit prius quàm mundus fieret; concluditur in Scriptura poni duas Christi naturas; alteram diuinam antiquiorem mundo, alteram humanam recentiore. Item Christus sapiens contestatus est, se esse Deum & Fi-

lium Dei: ob quod crucifixus fuit à Iudæis. *Et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*. Ea autem lex erat de occidendis blasphemis sibi diuinitatem arrogantibus. Idem Christus tertio quoque verbo se appellat filium hominis, passim loquitur de sua anima, & suo corpore: quæ sunt hominis natura. Neque in Scripturis reperitur Christum esse animal rationale his verbis: at reperitur eum esse hominem: quod satis est vt in Scripturis reperiat animalitas & rationalitas Christi: quia alterum per alterum definitur. idem contingit in presenti.

§. 24. Obijcit Tertio, Christum in Scripturis vocari similem nobis, esse in nostram similitudinem, & habitu inuentum vt hominem: quæ significant Christum præ se tulisse speciem hominis, non verò substantiam. Respondeo simile vsurpatum ab Aristotele pro habente vnitatem in qualitate: *Similia sunt, quorum qualitas est vna*, dixit ille. quam similitudinem Christus habuit nobiscum: multas enim habuit nostrarum qualitates. Item similitudo vsurpatur à Philosophis pro vnitatem in natura: quæ vnitas appellatur ab Aristotele *identitas*: dixit enim, *Eadem sunt quorum substantia est vna*. in hoc sensu idem Aristoteles, & alij Philosophi definiunt viuientium generationem: *Generatio est origo viuientis à viuento à principio coniuncto in similitudine naturæ*: id est, in identitatem, siue vnitatem naturæ. Quam similitudinem habet Christus nobiscum: propter quam ipse se fratrem nostrum appellat, & habitu inuentus est vt homo: quia corporis dispositio, quam bene Latini Corporis habitum appellant, est vt hominis, id est eadem quæ in hominibus reperitur. Aduerte, hoc tertium Eutychetis argumentum esse contra veram Christi humanitatem, ad probandum Christum non fuisse verum hominem: qui est error Marcionis, in quem lapsus Eutyches, vt dixi §. 3. Item aduerte, Eutychem non solum fuisse ignarum philosophiæ, similitudinem nuncupantis pro identitate naturæ; sed etiam Scripturarum: quas saltem vt Abbas monachorum legere debuerat. cum autem Deus Euam esset producturus in solatium Adami, dixit, *Faciamus ei adiutorium simile sibi*: ane Eua specie tenus & non in substantia similis fuit Adamo?

§. 25. Obijcit Quarto aliquorum Patrum testimonia. S. Athanasij in Symbolo: *Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus*. Respondeo, eo testimonio destrui Eutychetis errorem: quia in homine vnitas manent vera caro & anima vera secundum proprias rationes: ergo & in Christo manent verè diuinitas & humanitas secundum rationes proprias. Secundo respondeo, comparisonem esse optimam: vt enim vniuntur corpus & anima ad naturam vnã; ita diuinitas & humanitas vniuntur immediatè hypostasi ad vnum Christum. Tertio, melius: vt vniuntur corpus & anima ad substantiam hominis, cum qua hominem constituunt vnũ: sic diuinitas & humanitas vniuntur ad substantiam Verbi, vt constituant vnum Christum: & sicut in homine vno retinentur duæ naturæ partiales, ita in vno Christo retinentur duæ naturæ integræ. Ratio huius terciæ responsionis est, quia ex sola vnione reciproca inter corpus & animam non constituitur homo, sed humanitas: est autem corpus vnione ad substantiam: ita fit vnus Christus

ex humanitate & diuinitate vnitis subsistentia Verbi.

§. 26. Protulit Eutyches aliud testimonium ex S. Cyrillo his verbis: *Non oportet igitur intelligere duas naturas, sed vnam naturam Verbi incarnatam.* Respondeo Eutychem fuisse mentitum, vt contra eum dixit ipse Cyrillus epist. 28. qui lib. 1. de Recta fide ad reginas sub initium hæc dixit, & confirmauit auctoritate Athanasij: *Constituatur etiam ipsum esse Filium Dei, & Deum secundum spiritum, & filium hominis secundum carnem: non duas naturas vnum filium; vnam que adoretur, & vnam qua non adoretur: sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorandam cum carne sua adoratione.* Iustinianus Imp. in edicto fidei ad Ioannem II. in 2. tom. Conciliorum id explicat de persona, accipiens naturam pro hypostasi. subdit tamen, vt obseruat P. Vasquez disp. 14. nu. 46. Hoc igitur testimonium impugnat aperte Eutychem errorem: tum quia retinet in Christo spiritum & deitatem, item & carnem, quæ sunt duæ naturæ. dixit item habere Verbum vnam naturam incarnatam: quod est habere etiam carnem; non minus quam habere albedinem quando manum albam habemus: ob quod dixit: *Adorandam cum carne sua.* quod esset falsum, nisi natura diuina conferuasset carnem assumptam. Quædo autem dicit esse vnam naturam & non duas, non exclusit realem dualitatem: siquidem dixerat esse naturam incarnatam & adorabilem cum carne sua; sed non admittit naturarum separationem in adoratione, ita vt altera tantum esset adoranda, altera non: quia adoratione est vtraque coniungenda: & natura humana est adoranda per patriam, per quam adoratur natura diuina: quia hæc propter vnionem est ratio formalis per quam natura humana debet terminare patriam. Tam longè absunt Cyrillus & Athanasius ab Eutychem errore, vt eum diuinantes præoccupatis verbis impugnaverint, & ostenderint humanitatem coram diuinitate, non solum esse nominandam, sed adorandam eodem genere patriæ. Recognosce P. Suarez, Bellarminum, Valentiam, & Vasquez sapius adductos.

SECTION III.

Impugnatur alie vniones ad naturam.

§. 27. **I**mpugnata conuersione naturarum, percurramus vtrum illæ possint alteratione misceri, ita vt ex duabus alteratis vna resultet. Pars negatiua est certa: quia diuinitas alterari non potest: quia alteratio est successio qualitatum contrariarum in subiecto, de quo mutuo concertant: sed diuinitas neque contrarium habet in existendo, neque est subiectum qualitatum contrariarum: quod etiam cæci videbunt. tum etiam quia alteratio est in genere passionis, cuius est incapax diuinitas: tandem quia omnia quæ sunt formaliter in Deo, sunt ipse Deus: qui nec perire potest, neque minui, neque mutari. humanitas ratione vnionis hypostaticæ in multis est diuersa, quam esset sine vnione: quia caret supposito naturali, terminatur diuino, perfunditur infinitè gratia, visione & amore Dei infinitè intensis: hæc autem contingunt humanitati conferuato integrè toto conceptu naturæ.

§. 28. Secundò probatur: quia illud genus vnio-

nis non fuit vnum: ergo natura Dei & hominis. *Thom.* non est vna. Probo antecedens, quia in naturali- *g. 2. a. b.* bus fit illa alteratio inter supposita completa, & perfectè & separatim subsistentia, vt inter vinum & aquam, quæ non sunt vnus liquor sed plures. Ratio est, quia inter supposita completa non est vnio, nisi continuatiua inter aliqua corpora eiusdem speciei: cui vnioni non est locus in Deo.

§. 29. Tandem nisi aut vtraque natura destruat conuersione in aliam tertiam, vel sit inter illas aliqua vnio physica, non potest fieri vna natura. quid autem dicendum sit de hac physica vnione, constabit à §. 31.

§. 30. Obiici possunt multa Scripturæ & Patrû testimonia, quibus Deus dicitur humanitati misceri, induere illam vt vestem, esse carne vestitus, & similia, quibus significatur vnio per accidens, & non per se. Respondeo vno verbo, his omnibus significari subsistentiam Dei esse independentem ab humanitate, sicut corpus est independentes à veste: significatur item aliqua dependentia humanitatis à Verbo, quam multi Theologi vocant sustentationem, vt vestis sustentatur à corpore. at non significatur vnio per accidens de prædicamento habere; sed vnio per se: homo enim non est denominatio per accidens vt vestitus. Propter hanc independentiam dicitur anima rationalis induta carne, & corpore carcerata, & in illo esse quasi in ergastulo, item & præpedita: homine autem intereunte dicitur anima exire è carcere, exuere corpus, & expediri. quæ minimè dicuntur de animis brutorum, quia non subsistunt extra corpus. Idem dico de subsistentia Verbi, non verò de subsistentia creata, quæ quia pender à natura, non dicitur illa vestiri.

SECTIO IV.

Examinatur vnio physica ad naturam.

§. 31. **C**halcedone & Constantinopoli actum est contra Eutychem: in Chalcedonensi sess. prima verò. *Sancta Synodus dixit, paulo ante subscriptiones hæc asseruntur: Magnificentissimus & gloriosissimus Florentius dixit: Qui non dicit ex duabus naturis, & duas naturas non credit rectè. Item actione 5. in secunda definitione hæc sunt verba: Beatissimos ego sequendo Patres, vnum & eundem Filium confiteor Dominum Iesum Christum. Concordantibus omnibus institutionibus edocemus, eundem in deitate perfectum, eundem in humanitate perfectum: Deum verè & verè hominem eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem.*

§. 32. Si quis diceret Christum esse vnam personam consubstantialem Deo & nobis, habentem duas naturas (quæ sunt humana & diuina) impermixtas, inconfusas, retinentes proprios conceptus quidditativos, attributa & proprietates; *illas tamen esse immediatè vnitas, sicut sunt immediatè vnitas Verbo, nihil diceret contra hanc definitionem.* Quia Eutyches non egit de hoc genere vnionis, sed negauit duas naturas formaliter perseuerare: quamuis enim illæ essent immediatè vnite, tamè essent formaliter duæ, vna autem per compositionem: quæ non tollit sed supponit pluralitatem extremorum. Aliqui Catholici dixerunt in Christo esse tres naturas, di-

S. Thom. q. 2. art. 1. unitatem, animam & corpus. quod verum est de tribus naturis simplicibus: corpus enim & anima ut sunt duæ hominis partes, sunt duæ naturæ partiales: quia ut sunt partes hominis, sunt in eo principium motus & quietis: per compositionem autem corpus & anima sunt vna natura. Durandus, Capreolus & alij refellendi disp. 33. & 34. constituerunt vnionem immediatam inter naturas humanam & diuinam; nec tamen ab alijs succlamatur eos sensisse contra hanc definitionem: quamuis aliqui dicant id esse contra Concilium Tolentanum.

§. 33. Dices, negari à Concilio vnitatem naturæ: sed natura esset vna si essent vnitæ immediatæ: ergo negatur ea vnio. Distinguo Maiorem: negatur vnitatis naturæ negans dualitatem naturarum ibi formaliter manentium cum vnione, aut sine illa, concedo Maiorem: quia hæretici non admittebant duas naturas quarum altera esset Christus consubstantialis Deo, altera nobis. at non negatur à Concilio vnitatis naturarum per compositionem retinentium suas proprietates. Et quia vnitatis naturæ accipiebatur in primo sensu tam à Catholicis quam ab hæreticis, ideo semper est neganda vnitatis naturæ, & duæ naturæ cõsentendæ. in opinione autem Durandi esset dicenda vna natura per compositionem, duas autem componentis. & quamuis sententia Durandi non est contra Concilium, phrasim autem *vnitatis naturæ* absonat necessariò auribus Catholicis, quamuis temperetur additamento *per compositionem*.

§. 34. Est item dicendum vnionem factam immediatè ad personam Verbi ratione hypostasis, nõ tamen ratione naturæ diuinæ. duæ ergo naturæ manent realiter in Verbo, non quidem vnitæ immediatè inter se, sed immediatè vnitæ cum hypostasi: media autem hypostasi sunt vnitæ inter se, quæ est vnio mediata naturarum. ostendam disp. 33. & 34. vnionem non esse factam in absoluto immediatè, sed in solo relatiuo: alioquin tota Trinitas esset incarnata.

§. 35. Obijcis: Vnio facta est immediatè in hypostasi: sed hypostasis est natura: ergo vnio facta est immediatè in natura, potestque formari syllogismus expositorius: *Hæc hypostasis terminat immediatè humanitatem: sed hæc natura est hæc hypostasis: ergo hæc natura terminat immediatè humanitatem*: non aliter atque hic syllogismus: *Philippus est rex: hic homo est ille Philippus: ergo hic homo est rex*.

§. 36. Hoc argumentum eo est difficile, quod pendet ex mysterio Trinitatis. ille enim syllogismus potest in generatione Verbi formari, *Hoc Verbum generatur: hæc natura diuina est hoc Verbum: ergo hæc natura diuina generatur*. quod consequens est hæreticum. ita illud de immediata Incarnatione naturæ diuinæ est absurdum. Dicit nonnullus, Non est absurdum humanitatem terminari immediatè à natura diuina propter realem identitatem naturæ diuinæ cum hypostasi vnita immediatè humanitati. Contrà: Eadem identitas est inter Verbum & naturam, & tamen non generatur natura, Verbum autem generatur: ergo illa identitas non est satis. Deinde tota Trinitas esset incarnata: quia prædicatum naturæ est realiter commune toti Trinitati.

§. 37. Dices, naturæ diuinæ conuenire aliqua prædicata connotatione ad aliquam hypostasim, quæ non conueniunt Trinitati: ut esse principium quo communicationis in generatione aeterna, & es-

se terminum quo communicatum: ergo eadem ratione potest illi conuenire terminare naturam humanam cum Verbo, quia id conueniat toti Trinitati. Nego consequentiam: quia prædicata illa connotatiua sunt ad oppositionem relatiuam: ut esse principium quo productionis est ad constituendam personam producentem ut quod: item esse terminum quo est ad constituendam personam productam ut quod: vbi autem non est ordo ad oppositionem relatiuam, omnia prædicata naturæ sunt communia toti Trinitati. at quod natura vnitur alij naturæ, non est in ordine ad oppositionem relatiuam: quia neque est ad producere, neque ad produci: ergo si natura humana vniretur diuinæ, vniretur toti Trinitati. de quo agendum disp. 33. & 34. cum igitur natura diuina non terminet aliam naturam, sicque terminus personalitatis diuinæ, cui conuenit terminare naturam, humanitas non potest terminari immediatè à natura diuina, sed ab hypostasi.

§. 38. Ad argumentum ex §. 35. distinguo Maiorem: hæc hypostasis ut virtute distincta à natura diuina terminat immediatè humanam, concedo Maiorem: ut non distincta virtualiter, nego Maiorem. distinguo item Minorem: natura diuina est hæc hypostasis realiter & formaliter, concedo Minorem: est virtualiter hypostasis, nego Minorem & consequentiam: quia distinctio virtualis in Deo præstat per prædicata quasi contradictoria quæ in rebus creatis præstat distinctio realis. Cum ergo hypostasis in ratione terminandi naturam differat virtualiter à natura, & hic exerceat munus terminandi naturam, quia terminat humanam, eam terminat immediatè, quin illam immediatè terminet diuina. De qua distinctio virtuali egi disputat omnibus de Trinitate. Ex quibus patet ad syllogismum expositorium: quia in altera præmissa ponitur identitas realis & formalis naturæ cum hypostasi; debebat autem poni identitas etiam virtualis, qualis est in absolutis inter se. in alio autem syllogismo de rebus creatis ponitur in præmissis identitas etiam realis & virtualis: quia in rebus creatis non est distinctio virtualis, qualis in diuinis.

SECTIO V.

De hac propositione: Natura diuina est incarnata.

§. 39. **I**AM non potest esse controuersia nisi de nomine, cum constet vnionem immediatè factam ad hypostasim, non verò ad naturam. Et quidem in Concilio Chalcedonensi act. 1. dicitur esse in Christo vna natura incarnata: Cyrillus autem & Athanasius adducti §. 26. dixerunt esse Dei Verbi vnam naturam incarnatam, & adorandam cum carne sua. S. Bernardus dixit calcatam maiestatem, diuinitatem incarnatam. Alij Patres id reculabant, nisi diceretur *natura Verbi*, ut significarent Incarnationem non fuisse ad totam Trinitatem: quia Incarnatione non conuenit naturæ diuinæ, nisi ratione secunda hypostasis. quæ autem ita conueniunt naturæ, non conueniunt toti Trinitati, quia conueniunt per oppositam relationem. Hanc propositionem admittit S. Thomas q.

2. art. 1. ad 3. asserens naturam diuinam esse inear-
natam, quia est vnita carni personaliter: & q. 3.
art. 2. asserens esse terminum assumptionis, non

conuenire naturæ secundum se ipsam, sed ratio - *S. Thom.*
ne personæ in qua consideratur. qua de re vide *P. q. 2. art. 1.*
Vasquez disp. 14. c. 4.

DISPUTATIO XVI.

Vtrum diuinitus potuerit humana natura immediatè
vniri diuinæ?

SECTIO I. *Ex opinione Capreoli inferitur imme-
diata vnio naturæ diuinæ cum humanitate.*

SECTIO II. *Humanitas vniri non potest subsi-*

stentia absoluta.

SECTIO III. *Non possunt immediatè vniri illa
natura.*

§. 1. **H**æc difficultas multas amplexa: sunt enim in natura diuina multa prædicata, de quibus me-
ritò dubitatur vtrum possint immediatè vniri creaturæ. Nec enim desunt qui existimant animam
Christi potuisse vniri cognitioni Dei, & per illam formaliter cognoscere omnia quæ
Deus ipse, de quo disputandum cum *S. Thoma qu. 9.* Item potuit quis existimare huma-
nitate posse sanctificari formaliter sanctitate absoluta naturæ diuinæ vnita immediatè hu-
manitati: de quo cum *S. Thoma q. 7.*

§. 2. Hic autem solum disputo, vtrum inter duas naturas completas essentialiter, habentes totum con-
ceptum quidditatum naturæ, quæ sunt diuina & humana, possit esse immediata vnio, vt est inter hy-
postasim & naturam?

SECTIO I.

*Ex opinione Capreoli inferitur immediata
vnio naturæ diuinæ cum humanitate.*

§. 3. **O**stendam disp. 34. §. 1. à Capreolo alij-
que Thomistis sentiri humanitatè im-
mediatè vniri existentie diuinæ: de qua opinione
ibi me videro. Existimant enim hi auctores in Deo
non esse nisi vnā existentiam, eamque absolu-
tam atque communem, per quam existunt omnia
quæ sunt in Deo tam absoluta quam relatiua. Item
existimant in humanitate non esse existentiam cre-
atam, eamque existere formaliter per existentiam
Dei: quemadmodum existimant in homine non
esse duas, sed vnā subsistentiam, per quam existit
materia prima, eamque non esse materiam, sed for-
mæ propriam, quam secum auclit auolans è cor-
pore.

§. 4. Non est animus probare in præsentī iden-
tatem realem & rationis inter essentia & existen-
tiam creatam: quod præstiti abunde vol. 1. disp. 8.
Metaphys. sect. 4. vnde per euidentem consequen-
tiam inferitur, in Deo neque ratione distingui es-
sentiam ab existentia: neque item probò, omnem
terminum productum ideo produci, quia simul
cum illo producit existentia: ob quod Verbum
Dei producit, quia eius existentia relatiua pro-
ducitur, qua de re disserui disp. 2. Physic. à §. 64.
agendum item infra disp. 34. Est igitur animus of-
tendere, admissâ eâ vnione concludi humanitatem
tam immediatè vnitam naturæ diuinæ quam hy-
postasim, quod sic probò:

§. 5. Existentia naturæ diuinæ est idem formaliter
& ratione nostra eam eadem natura: sed per te
natura humana immediatè vnitur existentie na-
turæ diuinæ: ergo vnitur immediatè naturæ diuinæ.
Consequentia negari non potest. Minor datuit
ab oppositis: probatur Major. Essentia diuina con-

cipitur necessariò primo conceptu vt existens: er-
go est idem etiam ratione nostra existentia cum
essentia. Consequentia pater, quia primus conce-
ptus cuiusque rei est eius quidditas. Probo antec-
edens. Primùm, quia natura diuina concipitur vt
actus purissimus, impermixtus cuius potentialita-
ti etiam logica: ob quod non potest concipi nisi
vt existens, quia existentia est actus oppositus po-
tentialitati logicæ. quod si natura diuina præscin-
deretur ab existentia, iam esset præscissa ab actuali-
tate, & conciperetur in illa potentialitas logica, &
non summa actualitas: & quamuis non est incon-
ueniens præscindere naturam ab omnipotentia,
esset inconueniens eam præscindere ab existentia:
quia per omnipotentiam non constituitur in esse
actuali transcendenti, neque in esse entis oppositi
potentialitati, sed tantùm constituitur in actu fa-
ctiuo ad extra: at verd per existentiam constituitur
in ratione entis actualis in ordine ad se, & oppo-
siti potentialitati logicæ. Secundò, probatur idem
antecedens, quia natura Dei non continetur in
alicuius potentia actiua. Tertiò, quia est ens à se,
neque potest concipi à se nisi vt existens: in creatis
autem fundamenta distinctionis inter essentiam &
existentiam combibunt quidditatiuè imperfectionem
potentialitatis logicæ, dependentiæ ab alio,
& similes. quæ autem ita sunt, non præbent fun-
damentum distinctionis in Deo etiam rationis,
quæ hic ponuntur ex volum. 4. disp. 3. se 4.

§. 6. Secundò, esto distinguatur ratione es-
sentia Dei ab existentia, adhuc probò vnionem fa-
ctam esse in natura: quia si fieret immediatè in om-
nipotentia, fieret in natura: hanc enim accipi-
mus pro quocumque absoluto conceptu, conue-
niente Deo secundum se & toti Trinitati: quia
existentia per se est absoluta & communis non mi-
nus quam omnipotentia: per quas tres personæ
æquæ sunt potentes & existentes: sed per te huma-
nitas est immediatè vnita existentie communi: er-
go est vnita immediatè conceptui absoluto atque
com-